

ab omni exercitu Deum glorificando
 acclamatur. Ipsius autem Cassari
 captivus et tanti laboris et certaminis
 consummatio peracta est tertio No-
 nas Aprilis. Intrañt ergo Pisani
 cives in Cassarum, et regias do-
 mos, et cameras plenas inveni-
 unt, innumera multitudine,
 utriusque sexus nobilium Sara-
 cenorum; Quorum alios præci-
 pitando interficiunt, et quamplu-
 rimos in vinculis ponentes capti-
 vos ad propria ducunt. Quantos
 autem regios thesauros in palliis,
 et auro, et argento atque regis pre-
 ciosis vestibus, aliisque innumeris
 spoliis inibi repperunt^{int}, describi
 difficile est. Quorum magna pars
 propter custodum incuriam ibi-
 dem combusta est, inventis ibi
 super hæc argenteis crucibus at-
 que divinis libris, aliisque eccle-
 siasticis ornamentis, quæ ipsi
 pessimi Saraceni depredati fue-
 rant per provinciam, et alias
 Christianorum regiones. Destruc-
 to itaque Cassaro, omnique Majo-
 ricæ munitione in ruinam